



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. VI. Circa vindictam criminum in alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

ius, si hac cuncta percuteret, extremum iudicium unde restaret?

XXX. Quartò illi referat, quid S. Anselmus dixerit, sic DEUM alloquens: *Verùm quomodo malis parcis, si es totus justus, & summè justus? an quia bonitas tua est incomprehensibilis, latet hoc in luce inaccessiblei, quam inhabitas? verè in altissimo & secretissimo bonitatis tuae later fons, unde manat fluvius misericordiae tuae; nam cum totus, & summè justus sis, tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus summè bonus es; minùs namque bonus esses, si nulli malo esses benignus, melior est enim, qui & bonis & malis benignus est, quàm qui bonis tantùm bonus est; & melior est, qui malis & puniendo & parcendo bonus est, quàm qui puniendo tantùm. Et paulò post: Nempe si misericors es, quia es summè bonus: & summè bonus non es, nisi quia es summè justus; verè idcirco es misericors, quia summè justus es.*

§. VI.

Tentatio VI. *Circa vindictam criminum in aliis.*

XXXI. **S**ulpitius Confiliarius Aulicus legens in S. Scriptura, quòd ob furtum unius Achan totus Israël divinas iras sustinuerit, & Filius David propter peccatum patris mortuus sit, imò omnes nos Adami posterii peccatum originale, omniàque inde manantia mala hæreditaverimus, graviter tentatur, circa æquitatem divinæ justitiæ, præcipuè cum in legibus suis expressè decisum inveniat, quòd peccata suos debeant tenere Authores, nec ulterius progredi metus, quàm reperiat delictum. Imò Deus

X § ipse

ipse Ezech. 18. dixerit, quòd Filius non debeat portare iniquitatem Patris sui, sed anima, quæ peccaverit, sola mori debeat. Quæritur ergo, quomodo pro hac tentatione vincenda instruendus sit.

Responsio.

XXXII. Primò illi ostendatur, quoties in statu politico filii cum parentibus puniti sint, & de factis puniantur, dum bona Parentum illis auferuntur, fiscoque adjudicantur; si ergo hoc hominibus limitatam duntaxat potestatem habentibus licet, cur non idem DEO velut supremo legislatori ac Domino liceat?

XXXIII. Secundò ostendatur, id fieri interdum, ut humiles & timidi iudiciorum divinorum homines reddantur, si advertant, Deum quandoque propter unius hominis peccatum totam aliquam communitatem plectere: & ut, quemadmodum S. Augustinus in l. 5. super Josue q. 8. ait, *non se solum quisque corripit in Populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis & unius hominis alia pro aliis membra sint sollicita.* Quod ipsum confirmat S. Chrysostomus hom. 1. de Verb. Dom. *Videtur inquit, quomodo unius peccatum toti Populo vindictam accersit? quomodo Deum adversus multitudinem hostem reddidit? sed bona sunt judicia tua, Domine, & ad nostram utilitatem dispensata.* Lues quedam est peccatum: per ultionem evulgatur ac traducitur apud omnes, ne corrumpat omnes, ut, ubi cognoverunt, quantas minas una peperit transgressio, fugiant a temptatione de multis alioqui sumendam aeternam vindictam.

XXXIV. Tertiò ostendatur, quòd per ejusmodi supplicia ob alienum peccatum inflictà non tantùm idipsum alienum peccatum, sed etiam propria puniantur; vix enim dubitari potest, quin in illo Israëlitico Populo, qui propter jactantiam Davidis peste sublatus, vel propter Achabi furtum ab hoste cæsus est, plurimi scelesti fuerint, qui ob sua crimina illam mortem velut justissimam pœnam fuerant promeriti.

XXXV. Quartò ostendatur, quòd ejusmodi supplicia non semper mera sint supplicia, sed beneficia & occasiones ad virtutum exercitium, utimore suo præclarè S. Augustinus q. 8. in Josue ostendit dicens: *Visibiles afflictiones hominum sive mortes, quoniam iis, quibus ingeruntur, & obesse, & prodesse possunt: novit Dominus in occulto providentiæ suæ, quemadmodum justè quibusque dispenset, etiam cùm aliorum peccata videtur in aliis ulcisci. Pœnas verò invisibiles, quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullas DEO judice pro alienis peccatis luit, sicut homine judice luere nullus, nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Sic anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii.*

§. VII.

Tentatio VII. Circa permissionem tentationum.

XXXVI. **C**olumbanus Religiosus dum Judæ & aliorum ejusmodi hominum infelicem lapsum & interitum ex una parte meditatur; ex altera verò